

1507 miliano ingentes copias subministraturos ; ne ab eo tanta in re tam unanimi illarum nationum consensu Patres perterriti deficerent , aliorum mores hominum , ut plerunque fit , suorum morum modio atque consuetudine metiens . Senatus autem omnes reipublicæ facultates legatis ad regem defendendum est pollicitus : quæque Maximiliani legati a republica petiissent , quod ad illa responsum habuissent , amico eis animo aperuit . Patres post hæc venientem ad urbem Nicolaum Ursinum imperatorem ab ipsis accersitum , ut cum eo & Liviano & Carraciolo , qui utriusque jussu eorum venerant , de bello consilium caperent , ei obviam in navi Bucentauro profecti civitate circumvecta excepérunt : in sequentibusque diebus , quibus in locis Maximiliano , quamque ante diem copiæ reipublicæ essent opponendæ , una cum his constituerunt : eosque evestigio reverti , & quam quisque partem reipublicæ finium tuendam suscepisset , ad eam illum contendere jussérunt . certiores enim facti tractari arma in Maximiliani finibus , militesque pluribus in locis cogi , nihil sibi reliqui ad exercitum comparandum , copiasque partiendas fecerunt , ut in tempore occurri posset .

Ubi Maximilianus de legatis suis cognovit , nolle Senatum ei armato per fines reipublicæ iter dare , Vincenzium Quirinum ab se dimisit . profectus ille cum in primis reipublicæ finibus subsedisset , ne injussu Patrum proprius accederet , Senatu permittente domum rediit . Patres tametsi decembri appetente mense multis verisimile non fieret Maximilianum Alpes esse cum exercitu trajeçtum , tamen Georgio Emo legato ab Senatu declarato , qui in fines Veronensem cum copiis accederet , eo se ab latere celeriter munire decreverunt : præsertim quod intelligebant , Germanorum militum certam jam manum adventare , ut illis ex Alpibus se demitteret . quæ quidem manus nequedum munitis itineribus & saltibus facile trajeçit , sine ullo tamen reipublicæ maleficio , pacataque in Mantuanorum se fines contulit . Ii erant milites circiter mille ducenti . Paucisque post diebus cum nullo accepto

in

*Venetorum
apparatus
adversus
Maximi-
lianum.*